QVÆSTIO MEDICA
TENTATIVIS DISPVTATIONIBVS DISCVTIENDA
IN SCHOLA MEDICORVM DIE IOVIS XXVII. MARTII HORA IX. MATVTINA.
M. ANTHONIO GVELLIER DOCTORE MEDICO MODERATORE.

16.

An edaces Μεγαλόσπλαγχνοι?

QVÆ corpus humanum effingit sapientissima, nullô præeunte magistrô natura, non solum externo decori & apparentibus lineamentis vt statuaria ars addicitur: sed intima quæque peruadens, incumbit in-primis visceribus affabrè efformandis; vt quibus reliqui corporis regimen deinceps committat. Hæc in semine quoquouersùm diffusa, heterogeneas illius partes, similibus effingendis earum, à quibus illæ decesserunt accommodans, deciduas præ cæteris à tribus parentum principijs portiones, in tres veluti bullas coercet, iecoris, cordis, & cerebri rudimenta, in quibus spiritales focos ædificat, vnde reliquæ partes incalescunt, & tribus facultatibus, naturali quippe, vitali & animali illustrantur: quasque in eam molem extendit, quæ materialibus principijs semini, & menstruo, atque caloris energiæ respondeat. Hinc præsertim μεγαλόσπλαγχνοι & μικρόσπλαγχνοι, à magnitudine & paruitate nobiliorum viscerum, sed maxime hepatis, quod Σπλάγχνον dicitur κατ' ἐξοχήν.

HOC viscus est omnium antiquissimum, venarum ῥίζωσις & ἐπιθυμητικῆς animæ sedes, cuius præsentia gestiens, concupiscentiæ igniculos diffundit in singulas partes, quibus percitæ, iacturam indesinentem triplicis substantiæ per calorem depascentem resarcire auentes, virtute magneticâ trahunt ab exilibus venis, & arterijs; hæ à maioribus; donec suctionis continuitate per cor primum viuens, fugacisque vitæ discrimina, circulari sanguinis motu, per continuas diastoles & systoles reparans, ad hepar fontem αἱματοποιητικόν peruentum sit: quod totum ἐπιθυμητικόν, quandiu fœtus in vtero delitescit, feriantibus ventriculo & pulmone, confusorum in placenta sanguinis & spirituum matris eò plus, quò maius est per venam vmbilicalem prolectat, ex quibus sui parenchymatis ἰδιοσυγκρασίᾳ alteratis & recoctis, sibi & reliquo fœtui magis consociale parat alimentum, quod deindè σπλάγχνον θυμοειδὲς per cauam ascendentem amplo foramine peruiam in arteriam venosam & à partu per pulmones, eò impensius quò maius est abripit in sinistrum ventriculum, & indè vitalitatis sigillo munitum, singulis partibus impertitur, & eò plus cerebro ἡγεμονικῷ quò etiam est maius.

HOMO eductus humô triplicis suæ substantiæ dissipationis duplicem causam habet; extrinsecùs quidem ab aëre ambiente; intùs verò à calore natiuô: hinc singulæ partes suctu geminatô post partum trahunt à corde, cor ab hepate; resectô vmbilicô hepar, nè homo, vt arbor inuersa continuò marcescat, conuertit se ad ventriculum, per venas gastricas, & stomachicas; cuius substantialem humiditatem illius membranis infixam catenùs exugit; quoad stomachus, propter excellentiam sensus, quam præ cœteris partibus sortitus est, ob maximos & insignes neruos quos habet à cerebro, suctionis importunitate diuulsus, hortetur animal ad capescendum alimentum; primò vt sibi consulat, vapidâ ingestorum suauitate suctionis sensum, appetitus animalis stimulum demulcendo; per accidens verò vt suæ, & reliquarum partium appetentiæ naturali, quæ procedit ab inanitione, fiat satis.

ALIMENTI humidi & sicci principium os, gula, ventriculus; in quem cum ingeritur, non priùs sedatur animalis appetitus, quin cesset suctionis sensus: hic verò perseuerat, donec tunicæ ventriculi, & præcipuè stomachi supra alimentum adeptum in ore chyli rudimentum, coarctatæ, benignioris halitus abundè, dum coquitur, imbiberint, quô imbutæ plus satis, suctionis sensum eludunt; quæ tamen tandiu durat, donec ventriculus chylum, quô nutritur fastidiens, reseratô pylorô, in intestina protruserit; ad quæ hepar vberioris alimenti auidum, per venas lacteas conuertitur, illa eò citius exhauriens, quò est maius, & quò maius eò capacius ad continendum, valentius ad coquendum, promptius ad expellendum, & frequentius ad vellicandum reiteratis suctionibus stomachum, qui tam crebræ læsionis impatiens, hortatur ad multos & frequentes cibos, vnde πολυφαγία, naturalis quidem, si ventriculus hepati respondeat, optima siquidem natura, quantum appetit, tantum etiam concoquit; inedia verò perniciosa, quia magnum hepar chylosi cremoris defectu remeantem ad se per circulationem sanguinem perurit, vndè ipsum inflammatur, & biliosam colluuiem multam conficit; quæ in ventriculum regurgitans cardiogmum, anxietatem, choleram, lipothymiam, & vertiginem suscitat; atquè ad cor transmissa, febris ardentis fit parens.

APPETITVS animalis famem & sitim complectitur; hæc frigidi humidi, illa calidi & sicci appetentia est. Magnum hepar æqualibus momentis auget vtramque nisi ventriculus naturalis temperiei limites excedens, vel alienô humore perfusus ὀρεκτικός magis vel διψητικός fuerit: διψητικός quidem, si calidior & siccior, vel salsô humore & acri imbutus: ὀρεκτικός verò, si frigidior, acidôue humore, vel acerbô prolutus, merô magis implendus quàm cibô: frigus enim, aciditas, & acerbitas constrictis tunicis vellicationem quamdam & rosionem suctui analogam excitant: quæ qualitates, quia coctioni non minùs nocent, quam prosunt appetitui, edacitas quæ hunc consequitur, cruditates multas infert, & magnum excrementorum prouentum, quibus distenditur hepar, primæ coctionis vitia emendare non valens, lien veluti fiscus, corporis dispendiô intumescit, intestina tamquam sentina, infarcta protuberant, vndè ventrosi atque etiam μεγαλόσπλαγχνοι.

Ergò edaces Μεγαλόσπλαγχνοι

Proponebat Andegaui, PETRVS IAMET Andegauensis, A. R. S. H. M. DC. LIII.

ANDEGAVI, Apud PETRVM AVRIL, Regis & Vniuersitatis Typographum.